



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1691

Disc. XXX. Sancti Severini Aquarum. Aqua concessa uni pro usu molendini vel alio, an concedi possit alteri pro eodem vel simili usu in primi concessionarii præjudicium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74102)

sur; Sicuti enim ex pretij quantitate resultat præsumptio quid & quantum in concessione seu contractu deductum sit, ut in allegatis decisionibus Romana pecuniaria seu apotheca coram Bichio, & Bevilacqua cum concordantibus apud Gregor. & adden. dec. 126. ita ex hujusmodi ædificiorum & aquæ ductuum forma, ex rationis identitate eadem præsumptio resultat, Accedente potissimum longissima observantia, quæ ex temporis tam magno intervallo dici etiam poterat præscriptiva antiquæ concessionis, quamvis juxta sensum alterius partis esset complexiva hujusmodi aquarum, multo magis illam attendendo tanquam interpretativam.

Et quamvis aduersus testes super hujusmodi observantia inductos, nonnullæ opponerentur exceptiones, attamen istis testibus rationabiliter magis deferendum visum fuit, utpotè à prædictis præsumptionibus & demonstrationibus magis adnuculatis, ideoque ex his & aliis per cæteros defensores deductis, reflectendo etiam ad solam veritatem, iuxta benèque fundata visa fuit dicta resolutio.

SANCTI SEVERINI

AQVARVM.

PRO

CACCIALUPPIS.

CVM

LUTIO PUCCITELLO.

Casus disputatus in Congregatione boni regiminis, incertus est exitus.

Aqua concessa uni pro usu molendini vel alio, an concedi possit alteri pro eodem vel simili usu in primi concessionarij præjudicium.

SVMMARIVM.

- 1 **F** Acti series.
- 2 **S**ecunda concessio semper intelligitur, dummodo non præjudicetur prima.
- 3 **F**acta uni concessione molendini, non potest concedi facultas construendi aliud in parte superiori.
- 4 **D**eclaratur dicta conclusio, & in quo præjudicio procedat.
- 5 **D**istinguuntur species præjudiciorum.

DISC. XXX.

A Quas post seruitium publicorum molendinorum ad flumen reuersuras, concessit Communitas Sancti Severini Caccialupis descendentes à celebri, & probato auctore Caccialupo alias Io: Baptista de Sancto Severino, sub annua responsione scutorum quatuor, pro usu molendini seu ædificij ad usum gippli; Post annos autem 20. circiter Puccitellus curavit obtinere ab eadem Communitate sub annua responsione scutorum sex facultatem divertendi aquas virgines ex vallato mo-

lendinorum, quantum sufficerent pro usu alterius molendini seu ædificij pro cõsimili ædificio gippli, quæ diversio notabile præjudicium generabat, tum molendinis publicis ejusdem Communitatis, tum etiam dicto alteri molendino seu ædificio, privato quoniã ob aquæ diminutionè longe minor operatio sequeretur, quam de præterito consuetum esset, unde orta inter has partes controversia, & introducta causa in Congregatione boni Regiminis.

Scribens pro Caccialupis dicebam, juris regulam ejus assistere, ut scilicet facta uni concessione, alia fieri non possit alteri in primi præjudicium, cum semper secunda concessio tacitam habeat conditionem, quatenus primo concessionario non præjudicet *juxta textum expressum in lege secunda §. si quis quod, vers. merito, & §. si quis à Principe ff. ne quid in loco publico*, Et in terminis individualibus concessionis licentiæ pro constructione molendini, quod post illud ædificatum, non debeat effectum sortiri consimilis licentiæ alteri concessa construendi novum molendinum in parte superiori, unde divertatur aqua, quæ inferiori juxta solitum non sufficiat, *Barr in l. quominus num. 2. ff. de flumin. benè Prætic. Papien. sub. iii. de concessoria vers. seruitus aqua ductus num. 7. circa finem fol. in meis 124. à tergo Tondut. par. 2. qu. civil. cap. 48. num. 16. & 17. Surd. conf. 130. num. 9. Faber in Cod. lib. 3. tit. 24. de servit. & aqua diffin. §. Galeor. lib. 2. contro. 53. num. 60. cum seqq. Cappc. Latr. consult. 8. num. 36. Rot. dec. 61. num. 8. & 9. par. 4. rec. tom. 2. & tanquam absolutum supponit Gratian. discept. 89. in princ.*

Et in Effectu ita est; quoties agitur de flumine publico, atque ille qui præoccupavit licite fecit, cum licentiæ scilicet illius superioris, ad quem illam concedere spectabat, dummodo præjudicium sit reale resultans ex diminutione aquæ, secus si agatur de præjudicio accidentali & voluntario, quod resultat ex majori vel minori molentium concursu, quoniam juxta magis communem istud non habetur in consideratione, nisi ageretur de concessione in flumine privato, atq; facti circumstantie ostenderent partes habuisse respectum ad jus privativum, quod præsertim ex quantitate pretij soluti seu præstationis conuenit pro concessione desumitur, ut distinguere solent scribentes ad intelligentiam doctrinæ *Barr. in l. non modus C. de servit. & aqua, & de quo plenè agit Cappc. Latr. dicta consult. 8.* Unde propterea, ad veritatem etiam reflectendo, dicebam quæstionem esse magis facti quam juris, an scilicet præjudicium quod Caccialupi sibi generari dicebant, esset accidentale & voluntarium, ut per alteram partem dicebatur, quod nempe agrè ferrent adesse aliud ædificium ejusdem materiæ, per quod cessante quadam specie juris privativi, minorem concursum haberent; sive materiam viliori pretio vendere cogerentur; Vel potius præjudicium esset reale, quia nempe ob aquæ diversionem fieri non posset consuetum laborerium, Atque cum hoc sensu processit Congregatio, committendo in partibus informationem super hac facti circumstantia, ad effectum exinde efformandi iudicium ac se certificandi de præsupposito præjudicio exinde resultante Communitati & molendinis publicis tempore æstivo.